UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Amor.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Visual Library

A propter ſilentium aptiſſimæ. Unde illud, plus olei, quam vini quoſdam abſumpſiſſe, qua de cauſa Poetæ noctem εὐφρόνην, à meditationis promptitudine vocitant. Epicharmi dictum eſt, ſi quid ſcitu dignum quæras, nocte meditandum: & ut ſemel dicam, nihil ad ſtudia nocte commodius. Incongruum lucubrationis ſymbolum eſt lucerna, cum præcipue frequens Ægyptiorum mos fuerit, per inſtrumenta ſæpius eorum uſum ſignificare.

Plut. in Sympoſiacis. Deca. 7. Addit ad hæc apud Lacedæmonios fuiſſe νυκτερινὸν σύλλογον, nocturnum conventum graviſſimorum.

DE FACIBUS. Cap. XXI.

ADdemus lucernæ faces, utpote quæ in eundem cum lucerna veniant uſum: nam & Cicero aliquid ſe ad ligneum lychnum non ſine delectatione ſcripſiſſe profitetur.

AMOR. Cap. XXII.

ÆGyptii ſacerdotes, qui odium per aquas intelligebant, ſub hoc tamen nomine mare ipſum accipientes, per ignem amorem exprimi voluerunt, ideoque faces paſſim Cupidini dedicarunt: notum enim illud de amore captis, uri eos intimis medullis. Et apud Maronem: *Regina cæco carpi-* B *tur igni.* Alibi: *Eſt mollis flamma medullas.* Atque eadem: *Uritur infelix Dido: Ardet amans Dido.* Cyrus apud Xenophontem, ignem ait urere homines, qui eum tangant: amorem vero non præſentes tantum, verum etiam longe abſentes inflammare. Meritoque Porcius Licinius dixit hominem ob amorem non eſſe ignitum, ſed ipſum ignem, cum ait: *Quæritis ignem? ite huc: quæritis? ignis homo eſt.* Vulgatum & Iſidori dictum authoris Græci de amore loquētis, ea de cauſa cum facibus & alis amorem pingi ſolitum, quod nonnunquam cupiditate impatientius exurat, nonnunquam vero præ ſatietate abvolet. Nam & Propertius alas illi in hujuſmodi uſum, traditas arbitratur, ut ejus oſtendat inſtabilitatem, dicens:

Et Maro Georg. 3. Uritque videndo fœmina. Æn. lib. 4. Ibidem. Amor cum facibus & alis cur.

Idem non fruſtra ventoſas addidit alas,
Fecit & humano corde volare Deum.
Scilicet alterna quoniam jactamur in unda,
Noſtraque nos ullis permanet aura locis.

Sed cum amorem firmiſſimam in ſe uno tantum poſuiſſe ſedem indicare velit, ita ſubjungit:

C

Sed certe pennas perdidit ille ſuas.
Evolat is noſtro quoniam de pectore nuſquam,
Aſſiduusq; meo ſanguine bella gerit.

Sed quod ad faces pertinet, Heſiodus cum terram, aquam & aerem genitos poſuiſſet, quarto loco amorem genitum ſubjecit, per quem interpretes hieroglyphice igneum elementum intelligunt. *In Opere.*

AMOR MUTUUS. Cap. XXIII.

DUæ faces vinculo conſtrictæ divaricatæque, nimirum indicia ſunt amoris mutui, quæ Græci ἀντέρωτα dixerunt, uti ἀντίθεον πολύφημον Homerus. Finguntur vero hæ accenſa parte ſurſum verſus erecta. *Odyſſ. lib. 1. verſ. 70.*

AMATORES MORTUI. Cap. XXIV.

QUæ ſi pingantur inverſæ, amatorum funera indicant, ut in Elegia, qua Tibulli mortem deflet, Naſo legere eſt.

Ecce puer Veneris fert everſamque pharetram;
D *Et fractos arcus, & ſine luce faces.*

Sed rem Ægyptiacam, qua ratione quis evaſiſſe de amoris ergaſtulis indicare poſſit, in Erycinæ Veneris templo ſculptam, idem admonuit II. de Amoris remedio:

Eſt prope Collinam templum venerabile portam
Impoſuit templo nomina celſus Eryx.
Eſt illic lethæus amor, qui pectora ſanat,
Inq; ſuas gelidam lampadas addit aquam.
Illic & juvenes votis oblivia poſcunt,
Et ſi qua eſt duro capta puella viro.

Erycinæ vero Veneris templum non tantum loco hoc ad Erycis filii memoriam reſpicere videtur, quam